Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Drei Vorlesungen in Rom - Cod. Ettenheim-Münster 196

Lugo, Juan

[S.l.], 1632-1633

Conclvsiones de angelis

urn:nbn:de:bsz:31-116360

Visual Library

CONCLVSIONES
De Angelis.

1.

Angelos existere, certum est ex fide. Sunt autem Angeli substantiæ perfectissimæ, vndiq, & adæquate spirituales: nec videtur possibilis substantia aliqua completa incorruptibilis composita ex corporeo subiecto & forma spirituali. Angeli natura simplex omnino est, excludens compositionem tum ex partibus integrantibus, tum etiam ex subiecto & forma. Habet tamen Metaphysicam compositionem ex genere, & differentia.

2.

Potest a Deo destrui de potentia absoluta, habet tamen per suam naturam, quod naturaliter non possit destrui, atq adeo in aliquo sensu per suam naturam est indefectibilis, quæ indefectibilitas oritur ex natura Angeli indigentis a Deo auctore naturæ conservationem perpetuam postquam productus est.

3.

Possunt plures Angeli ad plures species pertinere, possunt etiam pertinere ad eandem speciem infimam. Nomine autem speciei infimæ non debent intelligi quælibet prædicata communia multis individuis, possunt enim huiusmodi reperiri, quæ non sint specifica, sed individualia. Nec etiam intelligi debet, illa solum differre specie, quæ habent perfectionem inæqualem, nam sicut possunt esse intra eandem speciem duo individua inæqualia in perfectione: sic nec videntur repugnare duo individua diversarum specierum æqualia in perfectione. Deniq nec illa regula in vniversum probatur, quod differentia specifica sit a forma, & numerica a sola materia, vel subiecto: possunt enim differre solo numero, quæ non differunt penes diversa subiecta.

4.

Differentia ergo specifica in vniversum illa est, quæ facit notabiliter differre, numerica pura, quæ non ita differre facit.

Vnde

Vnde contingit, aliqua differre specie physica, quia secundum considerationem physicam notabiliter differunt, quæ tamen differant solo numero Theologicè, aut Mathematicè, vel è contra.

5.

Non repugnat ergo, creari Angelos ad inuicem specie diuersos. nec etiam qui sint eiusdem speciei infimæ. De facto verius videtur non omnes esse eiusdem speciei. Probabile item est, singulos differre specie ab omnibus alijs. Agnoscimus itaq in Angelica natura fundamentum aliquod, vt de facto non multiplicentur indiuidua intra eandem speciem: negamus tamen possibilem aliquam speciem, seu naturam creatam, quæ in ordine ad potentiam Dei sit omnino immultiplicabilis.

6.

Angelos esse, aliquo modo in loco, certum est. Constat etiam, eos non esse in loco circumscriptiuè, sed definitiuè. Eorum præsentia formalis non est sola substantia, aut mera operatio transiens, vel applicatio virtutis ad operandum in loco reali, nec custodia circa locum, aut passio aliqua Angeli ab ipso, aut denique realis vnio cum corpore aliquo. Fit ergo Angelus formaliter præsens spatio imaginario per vbicationem accidentalem sibi intrinsecam, non relatiuam formaliter, sed absolutam, per quam fundare potest relationem præsentiæ alijs rebus. Denominatio tamen præsentis loco reali, est partim extrinseca Angelo proueniens ab vbicatione loci: imo in aliquo sensu prouenire debet ab operatione, vel applicatione virtutis circa locum.

7.

Nomine spatij imaginarij cui dicimus Angelum fieri præsentem a sua vbicatione intrinseca non est necesse intelligere spatium fictum, (: licet hoc etiam possit pro libito fingi:) sed eo nomine explicamus vbicationes possibiles, quibus hæc vbicatio Angeli similis, vel dissimilis est, e ideo potest fundare relationem indistantiæ, vel distantiæ ab illis.

8.

Non repugnat, Angelum esse in spatio diuisibili per vbi intrinsecum indiuisibile, neq quod habeat vbi intrinsecum diuisibile pro diuisibilitate spatij, neq enim conuertitur materialitas,

e diuisi=

& diuerbilitas. Nullus Angelus de facto potest esse simul in toto hoc vniuerso, nec videtur possibilis Angelus, qui possit se vbiq; constituere, nec qui possit in spatio finito in infinitum maiori & maiori simul esse. Potest esse in spatio quolibet minori, & minori, & si detur punctu, in vno puncto, non in duobus locis distantibus propriis viribus, etiamsi vterq; locus contineatur intra sphoeram sui spatij adæquati. Possunt plures Angeli esse simul in eodem spatio per vbicationem intrinsecam.

9.

Mouet Angelus seipsum motu locali intrinseco, & per se, posset etiam moueri motu per accidens ad motum alterius substantiæ spiritualis, qua illum teneret, cuius motus non semper ponitur inter duos terminos positiuos. Potest mouere se motu locali successiuo continuo, & quidem iuxta communiorem sententiam de compositione temporis ex partibus, & instantibus, nullum potest assignari tempus adeo breue, in quo Angelus non possit velocitate, qua pollet, ex & e coelo ad terram venire motu successiuo continuo.

10.

Dato, vel assignato instanti, poterit Angelus propriis viribus in eo peruenire vbi, quod habebat diuisibile, vel indiuisibile, & acquirere aliud ad spatium adæquate diuersum. Non tamen poterit in instanti habere motum successiuum, neq; etiam specificatiue, hoc est, eandem actionem, quæ potentia in tempore esse motus successiuus, Supponimus enim actionem non distingui a sua durabione. Si tamen velis durationem actionis, ab ipsa distingui, tunc licet Angelus existens in spatio diuisibili per vbi indiuisibile non posset naturaliter producere simul actionem, qua eo modo potuisset etiam intra sphoeram sui loci adæquati fieri præsens successiue diuersis partibus spatij, posset tamen supernaturaliter si non sit repugnantia specialis, qua neq; ipsa vbicatio possit poni tota simul de potentia absoluta.

11.

Angelum non posse transire immediate ab extremo ad extremum absq; transitu per medium non participans, probabilius videtur, etiamsi vtrumq; extremum sit intra sphoeram sui spatij adæquati. Poterit tamen absq; transitu successiuo per media partis

Gigantea.

cipantia.

12.

Angelus ad suas intellectiones indiget speciebus intellectualibus, quas habet ab initio congenitas, plures vero successive accepit, non ab obiectis semper, sed a Deo, non tamen abs limitatione, sed quando obiecta intra talem sphoeram producuntur. Ad intelligendam suam substantiam, vel illa, quæ in se habet non indiget concursu speciei: quod probabile est de intellectione alterius Angeli sibi intime præsentis. Futura necessaria cognoscit Angelus in causis, libera vero neq in causis, neq in regulis, sicut nec cordis secreta hominum, vel etiam Angelorum, in quo numero ponimus non solum volitiones alienas, sed intellectiones, actus phantasiæ, & species internas, quæ omnia pariter Angelo saltem regulariter occultantur.

13.

Loquuntur Angeli ad invicem nihil efficientes in mente audientis, nec per qualitates, seu signa spiritualia in se producta ad modum nostrarum vocum, sed per ordinationem suæ voluntatis, qua dirigant obiectum ad audientem: qua ordinatione mediante producit Deus speciem novam in solo audiente. Hinc fit, posse Angelum fallere alium Angelum, posse etiam secreto alloqui alys non audientibus. Nobis tamen Deum, vel Angelos mentaliter alloquentibus, regulariter interuenit actus rationis circa actum voluntatis. Per voluntatem, qua loquitur Angelus non est necesse, quod velit loqui, sed vult quantum est de se, quod alius cognoscat ipsum habere in mente tale obiectum. Nos tamen quando exterius loquimur, volumus quidem loqui, non vero totum, quod integrat locutionem, in ratione locutionis.

14.

Ortum fuerunt Angeli omnes in statu gratiæ, quam accepe-runt singuli ex propria dispositione, & inæqualiter auctæ inæqualem perfectionem naturalem. Meruerunt Angeli boni, non solum in primo instanti, sed etiam in secundo, quando alij peccabant. Beatitudinem autem non tunc, sed postea obtinuerunt.

Potuerunt

j5.

Potuerunt omnes physicè, non moraliter in primo instanti peccare: peccarunt peccato superbiæ habente simul malitiam invidiæ contra Christi humanitatem, & cæteros homines. Lucifer solus appetyt principatum, reliqui recusarunt homini subiici. Ex jis, qui peccare cœperunt, nullus resipuit, sicut nec ex jis, qui semel susceperunt partes Dei, ullus postea aliqua victoria mutabilitate defecit. ℔.